

Cap. LVIII. Rubrica de bonis uxorum hominum
de Tergesto non alienandis per earum
viros. Et de alienatione bonorum acqui-
sitorum. Et satisfacione fienda per uxo- 5
rem marito de bonis suis per ipsum ven-
ditis. Et de alienacione uxoris.

239 B **A**dhuc ordinamus quod mariti mulierum de Tergesto // non
possint nec debeant bona ipsarum mulierum modo aliquo
vendere nec alienare sine consensu et voluntate ipsarum, et
si reperirentur ipsa bona aliter alienata esse et querela per- 10
venerit ad dominium Tergesti, tunc dominium teneatur eidem
mulieri, invito et inrequisito marito, facere rationem contra
emptorem vel possessorem dictorum bonorum, et ipsa bona
veniant in uxorem mariti qui vendidisset vel alienasset dicta
bona, incontinenti querela predicta interveniente. ¶ Vir vero 15
earum possit et valeat bona acquisita cum ea ipsis stantibus in
matrimonio vendere et alienare ad eius voluntatem, sine consensu
et voluntate dicte uxoris sue. ¶ Si vero aliquis vir alicuius mu-
lieris venderet aliqua bona propria ipsius viri, stantibus ipsis in
matrimonio, quod uxor ipsius viri teneatur ad solvendum me- 20
dietatem omnium venditionum predictarum, exceptis de ven-
ditione facta occasione ludi fideiussionis vel condempnationis,
ad quas venditiones uxor predicta minime teneatur. ¶ Et pre-
dicta intelligantur de matrimoniis factis ad antiquam consue-
tudinem. ¶ Preterea volumus quod nulla donatio vel alienatio 25
facta per uxorem in virum vel in aliam personam valeat nec
teneat, nisi facta esset in testamento; uxor vero possit et va-
leat cum consensu viri sui facere donationem propinquis suis.
¶ Et nulla donatio sive refutatio facta per uxorem marito et
240 A e converso valeat nec teneat set sit nullius valoris. // 30